RECTOR

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

SACRA PENTECOSTALIA

PIE CONCELEBRANDA

INDICIT

INTERPRETE

D. GEORGIO BENEDICTO WINERO

ORDIN. THEOL. H. T. DECANO SUFFECTO.

Disputatur de pedum in cruce affixione contra BAEHRIUM.

LIPSIAE

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Quaestionem posuimus nuper a viris doctis ita agitatam, ut iusto cupidius in utramque partem disputasse videantur. Etenim postquam Ven. PAULUS [1]), acerrimo vir ingenio rerumque antiquarum si quis alius gnarus (quinquaginta nunc et quod excedit anni sunt), pedes eorum, qui apud Romanos in crucem tollerentur, clavis pariter atque manus confossos esse negavit suaeque sententiae veritatem omnibus paene theologis [2]) persuasisse visus est: nuper praeeunte HENGSTENBERGIO [3]) surrexit C. BAEHRIUS [4]), Badensis, acriter pro pedum affixione dimicans aperteque affirmans, istam quaestionem, quae per se ad simplicem antiquitatis investigationem pertineret, a theologis rationalistis, miraculorum quippe osoribus, invidiose esse tractatam et vix posse ab iis aliter administrari [5]). Et haec quidem insimulatio admodum displicet, praesertim cum supranaturalistae et ipsi in hac, de qua quaeritur, caussa non ab omni praeiudicata opinione immunes videri possint, siqui-

1) *Antiquar. Problem über das Annageln der Füsse bei Gekreuzigten* in commentariis theol. ab ipso PAULO editis: Memorabilien IV. p. 36 sqq. Eadem fere persecutus est in *philol. krit. u. hist. Commentar über das N. T.* Tom. III. p. 764 sqq. ed. sec. Breviter rem attigit in Vita Iesu a se narrata Vol. I. p. 237 sq.

2) Ex multis nominasse sufficiat Ven. AMMONIUM bibl. Theol. II. p. 417. HENSLER. *Bemerk. über Stellen in den Psalmen* p. 50. FRITZSCH. ad Matth. p. 813. DE WETTIUM *hebr. jüd. Archäol.* ed. 1. §. 166. LUECKIUM ad Ioan. Evang. II. p. 504. ed. 1. Ego ipse in has partes concessi *bibl. Realwörterbuch* I. p. 800 sq. ed. 2.

3) In Christol. I. p. 182 sqq.

4) In HEYDENREICH *und* HUEFFEL *Zeitschrift für Predigerwissenschaften*, 1830. Vol. II. P. 2. p. 309 sqq. Contra ea, quae hac commentatione exposita sunt, disputavit PAULUS in Ephemerid. eccles. Darmstad. 1831. *Literaturblatt* no. 135. ac denuo sententiam suam defendit in: *exeget. Handbuch über die drei ersten Evangel.* III. p. 669 sqq. Hoc movit BAEHRIUM, ut iterum surgeret et tela adversarii a se propelleret singulari commentatione inserta THOLUCCII diario: *Literarischer Anzeiger* 1835. N. 1—6. Sed PAULUS non passus est se a sua opinione abstrahi in *Skizzen meiner Bildungs- und Lebensgeschichte*, *Heidelb.* 1839. p. 147 sqq.

5) Ap. HEYDENREICH p. 310 sqq.

dem, qui Psalmum XXII. vaticinium esse in Christum dictum sibi persuaserint (ii autem haud pauci etiamnunc sunt), magna contentione id agent, ut in pedes etiam Christi clavos adactos esse demonstrent. Verum tamen ea quoque, quae Baehrius ad infringendam Pauli fidem in medium protulit, non omnia sunt ita disputata, ut contraria sententia extra dubitationem posita esse videri debeat. Accedit, quod Hugius[6]), Friburgensis theologus, quem novimus ultimos omnis antiquitatis recessus rimari solere, ad easdem partes accedens passim monuit, quae speciosa magis quam vera sint. Itaque placet utriusque viri docti disputationem diligenter examinare, si possimus vera a falsis secernere et quantum fidei Baehrio, quantum Paulo in hoc loco adhibendum, aequa lance pensitare[7]).

1. Ac primum quidem, ut remotis iis, quae nihil ad rem pertinere videntur, expeditam nobis viam faciamus, nemo opinor vel necessariam ad supplicii istius finem fuisse pedum affixionem contendet, vel negabit, eam recte et commode institui omnino potuisse. Istud enim, quo tandem artificio demonstrare sustineas? Scilicet vel mortis afferendae caussa (erat enim crux supplicium capitale) vel ad acuendos dolores putabimus pedes clavis devinciendos fuisse? At vero mors certissime occupatura erat eos, qui de cruce pendebant, etiamsi funibus duntaxat alligati ad patibulum essent; quandoquidem, si Xenophonti Ephesio[8]) fides, in Aegypto nullus plane clavorum usus fuit. Nam cruciarii non tam larga sanguinis profusione quam torpore vel tetano[9]), interdum etiam fame[10]) perierunt, unde factum, ut essent qui aliquot adeo dies in cruce vitam misere ducerent[11]); sanguinis autem multo profluvio satis constat

---

6) In *Zeitschrift für die Geistlichkeit des Erzbisthums Freiburg* III. p. 167. V. p. 18 sq. VII. p. 143 sqq.

7) Ad Baehrii et Hugii sententiam nuper accesserunt Kuinoel. in commentar. ad Matth. p. 780 sqq. ed. 4., qui istorum virorum argumenta simpliciter repetiit, et Straussius *Leben Jesu* II. p. 558 sqq. ed. tert. Non omni ex parte assenserunt Lueckius Comment. in Ioa. II. p. 689. ed. 2. p. 798. ed. 3. et de Wettius Archaeol. p. 210. ed. 3.

8) De Abrocomis et Anthiae amor. lib. IV. cap. 2. *προσαρτῶσι σπάρτοις τὰς χεῖρας σφίγξαντες καὶ τοὺς πόδας, τοῦτο γὰρ τῆς ἀνασταυρώσεως ἔθος τοῖς ἐκεῖ (ἐν Αἰγύπτῳ).*

9) Vid. Richter dissertatt. quattuor med. p. 50 sq. Schmidtmann *einleuchtende medic. philos. Beweise, dass J. Chr. wahrhaft gestorben sei.* Osnabr. 1835. p. 53 sqq.

10) Exemplum habes ap. Euseb. in H. E. VIII, 8.

11) Vid. Origen. Opp. Tom. III. p. 928. ed. Berol. V. p. 73. add. Hugius VII. p. 159 sq.

hominem cito exstingui, maxime si arteria scissa fuerit. Nec cruciatus ut acerbiores fierent[12]), clavi in pedes immissi sunt; imo si placuit magistratibus vim supplicii et tormenta augere, a clavis prorsus sese abstinuisse reperiuntur[13]), dilatio enim mortis multo atrocior esse iudicabatur, quam pedum perforatio. Unum restat. Quid si corpus cruci affixum non potuerit clavis in manus solas adactis sustentari? Verumtamen ut taceam, medicis, penes quos est harum rerum existimatio, secus visum fuisse[14]), probe meminerimus, in medio patibulo eminuisse cornu quoddam ligneum, cui cruciarius insideret vel potius inequitaret[15]). Hoc credo par erat ferendo toti corpori, nam quod alii narrant de suppedaneo, cui pedes imponerentur, commentitium esse videtur[16]). Ex his igitur omnibus consequitur, non opus fuisse pedum

---

12) Sat magni illi erant cum ex manuum vulneribus tum ex corporis immobilitate oriundi. Richterus l. l. p. 37.: incredibilem, inquit, molestiae sensum in eo consistere quis non videt, unum tot horis sustinere corporis situm? cum vix naturalem diu sine crebra mutatione feras, nedum tam violentum. Imo vero tot (?) clavis per loca nervorum tendinumque plena traiectis in isto situ sine spe omni mutationis nisi quam mors promittit, tanto temporis intervallo persistere nihil facile habet quod fingi possit atrocius etc. Add. Gruner de I. Chr. morte vera p. 36. Mire ac praeter rei veritatem exaggeravit dolorum vim Schmidtmann l. l. p. 30 sq.

13) V. Abdiae apostol. histor. III, 40.

14) Ita certe iudicavit Nic. Fontanus, Medicus Amstelodamensis, in epist. ad Io. Nihusium: an manus clavis transfixae pares ferendo corpus inde pendulum? Amstel. 1643. add. F. C. Curtii de clavis dominicis lib. L. B. 1695. Paullo cautius Richter. l. c. p. 30. non nego, ait, tendines magna corporum pondera sustinere nec rumpi, sub tabido tamen vicinarum partium deliquio laxatos sensim cedere necesse est. Moris autem erat suspensos plenae corruptionis in cruce fato relinquere, hinc ne exciderent, de firmiori situ cogitare. Hic pondus penduli corporis et tabes dilatans necessario manuum foramina corporis aliter non suffulti ruinas peperissent. Quod necessarium in medio sedile confirmat.

15) Iren. adv. haer. II. 46.: ipse habitus crucis fines et summitates habet quinque, duos in longitudine et duos in latitudine et *unum in medio, ubi requiescit, qui clavis affigitur;* Iustin. Mart. dial. c. Tryph. c. 91. p. 188. ed. Benedict. *ὄρθιον τὸ ἕν ἐστι ξύλον, ἀφ᾽ οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ὑπερηρμένον ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ καὶ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνηται καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας καὶ αὐτο ἐξέχον ἐστὶ, ἐφ᾽ ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι.* Tertull. adv. nation. I, 12. pars crucis et quidem maior est omne robur, quod erecta statione defigitur. Sed nobis tota crux imputatur cum antemna scilicet sua et *cum illo sedilis excessu.* — Hoc ipsum probare videntur verba Senecae ep. 101: suffigas licet et acutam *sessuro* crucem subdas v. Ruhkopf. ad h. l.

16) Cf. Richter l. c. p. 33. et Paulus Comment. III. p. 758 sq.

affixione. Sed erit fortasse, qui neget, pedes commode potuisse clavo traiici. Ego non assentior. Nam, ut nihil nunc dicam de puellis Helvetiis nuper superstitionis gratia in crucem actis[17]) neque hoc commemorem, seriore certe aetate apud Romanos pedum cruci affixorum exempla reperiri — nolo enim quidquam praecipere eorum, quae infra exponenda sunt — duobus potissimum modis, si pedis humani fabricam consideramus, poterant illi perforari et ad crucem affigi vel ambo iuxta pendentes binis clavis vel complicati uno. Istud fortasse facilius, sed hoc etiam medicorum, quos consului, iudicio non tam arduum, quam nuper Hugio visum[18]), qui gemini clavi (vel fibulae potius ferreae) monstrum confinxit. Non opus erat hoc commento, quoniam non solum utraque planta (suppedaneo imposita) sed uterque etiam pes pendulus (maxime in articulo tali) uno clavo longo percuti potest, et bipartitum clavum adhibitum esse, non satis apparet ex iis, quae Nonnus, quem ille testem produxit, in paraphrasi evang. Ioann. cecinit c. 19. v. 91 sqq.

κεῖθι φονῆες
εἰς δόρυ τετράπλευρον ἐπήορον ὑψόθι γαίης
ὄρθιον ἐξετάνυσσαν ἐπισφίγξαντες ἀνάγκῃ
πεπταμένας ἑκάτερθε σιδηρείῳ τινὶ δέσμῳ
χεῖρας· ὁμοτρήτῳ δὲ πεπαρμένον ἄζυγι γόμφῳ
διπλόον ἦτορ ἔχοντα μιῇ τετορημένον ὁρμῇ
πόσσιν ὁμοπλεκέεσσιν ἀκαμπέα δεσμὸν ὀλέθρου.

Nam iste *δεσμὸς διπλόον ἦτορ ἔχων*, quem Hugius clavum *bidentem* esse vult, potest etiam propterea dici *duplicem* quasi *animum* habere (*doppelmuthig*, *doppelherzhaft)*, quod duos simul pedes pervasit atque adeo

---

17) V. I. L. Meyer *Schwärmerische Greuelscenen oder Kreuzigungsgesch. einer relig. Schwärmerin in Wildenspuch.* Zürch 1824. 8. Add. Ephem. eccles. Darmstad. 1833. N. 9.

18) *Zeitschrift* VII. p. 154 sq. Quod Hugius monet p. 157.: *wollte man den Fuss* (plantam igitur dicit) *in der Mitte durchbohren, so traf man auf den mittelsten der fünf Mittelfussknochen* (ossa metacarpi), *der sich mit einem Nagel nicht durchstossen lässt. Der Nagel gleitete entweder zur Rechten oder Linken ab; aber ein Doppelnagel drang rechts und links neben dem bezeichneten Knochen ein und fasste den Fuss desto fester.* — id quid sibi velit, non recte intelligo. Cur non potuerit unus clavus inter ossa metatarsi ita penetrare, ut pes infigeretur cruci? Hoc est nodum in scirpo quaerere.

duo simul vulnera inflixit, uno quidem ille ictu[19]). Nec obstat huic interpretationi, quod v. 74. Christus iubetur in ligno extendi *τετράζυγι δεσμῷ*, siquidem, cum manus binis, *duo* vero pedes uno clavo traiecti essent, Christus ipse *quadriugo* vinculo ad crucem affixus erat. Accedit, quod Nonnus clavum *bipartitum* vix *ἄζυγα* appellare potuit. Sed quidquid est, ad incitas redactus videbitur, qui in hoc genere ad scriptorem sec. 5. eumque poetam, praesertim tumide et obscure canentem[20]) provocet. Ceterum si ex me quaeris, utro modo pedes cruciariorum suffixi fuerint binis an uno ferro, istud ego verisimilius esse iudico, nam complicatis pedibus non potuit non fieri, ut medium corpus aliquantulum protruderetur atque adeo *πῆγμα* istud parum valeret ad sustentandum corpus, cuius tamen rei causa unice inditum palo fuisse narratur[21]).

2. His missis ad ipsam, quae nobis proposita est, quaestionem accedamus et, quibus argumentis vel potius testimoniis effici possit, ut pedes clavis affixos ad crucem fuisse credamus, deinceps investigemus. Hic statim Baehrius p. 329 sq. et ap. Tholuccium p. 6. affirmat, id apparere ex ipsis vocabulis, quae de crucis supplicio posita apud veteres scriptores deprehendantur; Graecos enim *προςηλοῦν* dicere consuevisse, Romanos vero adeo *corpus infigere*[22]); reliqua enim, quibus ille utitur, praetereo,

---

19) In omnia alia abit, qui hunc ipsum *Nonni* locum attigit, Ven. Paulus (*Darmstädt. Theol. Literaturblatt* 1834. p. 1082 sqq.), maxime vero mira videbuntur, quae ille de voc. ἦτορ explicuit.

20) Ita iudicavit etiam Ven. Hermannus noster, quem de horum verborum sensu interrogabam. Non tolerandum ille existimavit ἦτορ; praeterea aegre ferens, quod ad vv. 96. 97. deest verbum, scribendum putavit hunc in modum:

διπλόον ἴχνος ἔχοντα μιῇ τετορημένον ὁρμῇ
ποσσὶν ὁμοπλεκέεσσιν ἀκαμπέα δεσμὸν ἔλασσαν.

21) Secus existimat Hugius, vel propterea, quod in martyrologio S. Andreae crux vocatur τριπάσσαλος, quae vox, cum significet *triclavum* (ut ita dicam), indicio esse videtur, tres duntaxat clavos adhibitos fuisse. Sed quemadmodum difficile est, ex eiusmodi vocabulis, quae plebs iocose finxit, iudicare de rerum antiquarum rationibus, ita non videtur omnino in hac caussa obscuris istis martyrologiis quidquam fidei tribui posse.

22) Non aperuit B., ubi haec loquendi formula legatur. Sed in mente ille habuisse videtur Ruffini (H. E. c. II. 8.) istud: clavos, quibus *corpus dominicum fuerat affixum*, et quae sunt ap. Sozomenum H. E. 2, 1. τοὺς ἥλους οἷς τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ διαπεπερόνητο. *Infigere corpus* non memini me legere uspiam. Ceterum nihil huc facit locus Polyb. VIII, 23. ἔδοξε πρῶτον μὲν ἀκρωτηριάσαι τὸν ταλαίπωρον (Achaeum)

ut quae nullam vim habeant. Sed quid inde? duos clavos adhibitos fuisse nemo fuit unquam, qui negaret. Iam vero, etiamsi pedes non essent nisi alligati funibus, vix poterant veteres dubii haerere, *ligatos* an *affixos* cruciarios dicerent, nam affixio non solum natura potior est ligatione, sed in illa potissimum versabatur supplicii ratio et partim crudelitas. Ceterum si quis uno duntaxat clavo transfixum suspenditur, quidni recte dicatur *προςηλοῦσθαι*? *Corpus* autem *infigitur* (*wird angeheftet*, *angenagelt*) haud dubie, cum manus clavis affiguntur ad patibulum, quemadmodum qui manibus religatus est ad palum, eius corpus vel adeo ipse religatus dicitur. Num forte Baehrius postulat, ut corpus medium transfigatur, quo rectius dici *infixum* possit? Hae sunt, si quid intelligo, argutiae. Corpus infixum cruci est, quod clavis adhibitis ita ad crucem affixum, ut inde totum, quantum est, pendeat, sive clavi in manus sive in pedes etiam immissi fuerint.

3. Sed ne amplius in his tricis commoremur, videamus age, quid in commentariis evangelicis ea de re memoriae proditum sit. Primum igitur apud Ioannem XX, 20. narratur Iesus redivivus inopinato medios inter apostolos adstans iis, nihil eiusmodi rogantibus, *τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ* monstrasse, pedum nulla mentio[23]). Et pedes tamen facilius opinor poterant monstrari, quippe soleis tantummodo succincti, quam latus veste contectum. Deinde Thomas, licet admodum cupidus, ut ipsius verba ostendunt, v. 25. nil amplius postulat, nisi ut manus et latus domini contrectare liceat, quod quidem increduli hominis desiderium haud cunctanter explevit Christus v. 27. Hic locus circumspectum libri Ioannei interpretem, Lueckium, movit, ut de veritate opinionis a Baehrio defensae nonnihil dubitaret; vid. etiam Hasium in vita Iesu p. 201. ed. tert. Quid vero Baehrius? *Wollte man* inquit p. 327., *entgegnend fragen: aber warum will denn Thomas gerade die Hände und die Seite, warum will er nicht die Füsse und die Seite sehen und befühlen? so ist die Antwort, das liegt in der Natur der Sache. Jesus tritt nämlich vor den Thomas und zeigt ihm natürlich zuerst die Wunden, die ihm, wie er ihm gegenüberstand, in die Augen*

μετὰ δὲ ταῦτα τὴν κεφαλὴν ἀποτεμόντας αὐτοῦ καὶ καταῤῥάψαντος εἰς ὄνειον ἀσκὸν, ἀνασταυρῶσαι τὸ σῶμα, siquidem *σῶμα* significat *truncum* corporis, a quo rescissa fuerunt caput et membra!

23) Nonnus in paraphr. XX., 90. invexit etiam pedes: *δεῖξε πόδας καὶ χεῖρας ὁμηγυρέεσσι μαθηταῖς ἡλοτύπους.*

fallen mussten und die geradezu ohne alle weitere Bewegung von Seiten Jesu oder des Thomas am leichtesten berührt werden konnten. Ohne Zweifel hielt ihm der Herr beide Hände auf einmal entgegen. Dadurch musste Th. viel mehr überrascht und betroffen werden, als wenn er ihm einen Fuss nach dem andern hingehalten und gezeigt hätte. Sed haec pusilla sunt. Nec magis placet, quod Baehrius apud Tholuccium p. 12. protulit: *wie sollte Thomas dazu kommen, noch mehr sehen und befühlen zu wollen, als eben das, was der Herr zeigte und wovon die Jünger ihm erzählten? Konnte ihm dies nicht genug sein? Thomas Worte sind also ganz und gar durch v. 20. hervorgerufen etc.* Nam si Thomas, qua fuit intemperantia, postulat, ut non solum videre, quod unum reliquis concessum erat, sed palpare liceat domini corpus v. 25., quidni eo arrogantiae poterat procedere, ut omnes omnino cicatrices oculis manibusque usurpare cuperet? Num hoc non consentaneum ingenio Didymi? Id certe concedere debebat Baehrius, anceps esse, quod ex isto loco duci possit, argumentum. Non monstravit Christus pedes, quod in iis nihil cicatricum cerni poterat, vel (nam hoc etiam coniectare licebit) satis ille habebat utramque vulnerum speciem et illam, quae communis erat cruciariis omnibus, et hanc, quae ipsi propria (in latere), apostolorum oculis obiecisse; ista vero cum similiter in manibus quam pedibus conspicua esset, manus spectandas praebere maluit, quoniam hoc aliquanto commodius fieri posse videbatur. Ioannem igitur nihil nobis certi subministrantem dimittimus.

Accedimus ad alterum locum, unde miro artificio supplevit Baehrius, quae apud Ioannem praetermissa sunt, quasi uterque locus unus tantummodo esset. Legitur apud Lucam XXIV, 39. *ἴδετε τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου, ὅτι ἐγώ εἰμι αὐτός· ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε, ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα· καὶ τοῦτο εἰπὼν ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας.* Hic pedes etiam monstrantur, quod feliciter factum magnopere sibi gratulatus est Baehrius. De latere ne verbum quidem. Itaque videntur Ioannes et Lucas velut ex composito rem inter se partiti esse, ille manus et latus commemorat, hic manus et pedes; apparet igitur pedes etiam vulneratos fuisse. Sed vereor, ne haec cupidius quam verius disputata sint. Nam de cicatricibus nihil apud Lucam legitur; imo ostensurus fuisset, ut mihi quidem videtur, dominus redivivus manus atque pedes, etiamsi neutri vulnerum signa traxissent. Quid enim? Iesus conclave ingressus apostolis videbatur esse *πνεῦμα* v. 37. Iam vero, ut hunc illis errorem eximat, monstrat manus atque pedes et non monstrat solum

sed contrectandos offert v. 39., nam, inquit, *πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα.* Ita fere Ven. PAULUS locum expediverat, quem secutus est DE WETTIUS. Et Christum non alio consilio ista dixisse fecisseque, nisi ut discipuli intelligerent, non inanem speciem vel umbram esse quam cernerent, elucescit ex his, quae v. 41. sequuntur: *ἔτι δὲ ἀπιστούντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς χαρᾶς καὶ θαυμαζόντων, εἶπεν αὐτοῖς· ἔχετέ τι βρώσιμον ἐνθάδε;* cet. Cf. ORIGEN. contra Celsum II, 9. 8. Sed BAEHRIUS tamen acerrime refragatur. Nam v. 39., ait, Iesus his verbis compellat discipulos *ἴδετε τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου;* igitur *videri* aliquid poterat in manibus pedibusque: at quid aliud tandem nisi ictuum notae? Sed bona verba quaeso! *Videri* nimirum poterat, manus et pedes ex ossibus et carne constare. At vero, instat BAEHRIUS, non videndo sed contrectando persuaderi poterat apostolis de veritate corporis Iesu resuscitati, itaque alio pertinet istud *ἴδετε τὰς χεῖρας* cet., alio hoc, quod sequitur, *ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε* cet. Verum haec operose excogitata sunt. Etenim si videndo nihil poterat omnino effici, cur Christus iterum dicit: *καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα?* Agitur non de visu, sed de iudicio oculorum. Etenim *πνεῦμα,* quod est aethereum, a corpore, quod est natura concretum, ipsis oculis dignosci poterit, quemadmodum in rebus multa, quae non ad externam speciem pertinent, acie, qualia sint, iudicamus, nam, ut hoc uno utar, quis non possit *cominus* spectando aquam a speculi vitrei aequore discernere? At ne solis oculis confidant apostoli, sed multo certiores fiant, omnemque dubitationem deponant, illico attrectandas quoque porrigit manus atque pedes. Itaque postquam haec dixit *ἴδετε τὰς χεῖράς μου* cet. quasi se ipsum corrigens addit *ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε* cet. At BAEHRIUS p. 221 negat hanc esse verborum *ἴδετε τὰς χεῖράς μου* cet. sententiam propterea, quod adiectum sit: *ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι.* Nam repetit, quae HUGIUS praeiverat[24]): *ἐγὼ mit αὐτὸς verbunden enthält eine strengere Bedeutung, als ἐγὼ allein; αὐτὸς ἐγώ εἰμι bezeichnet nicht etwa nur, wie ἐγώ εἰμι ein Dasein, sondern — — die Identität der Person.* Verum haec paullulum vacillant. Nam *ἐγώ εἰμι,* si tono acuis vocem *εἰμὶ,* haud dubie istam vim habet, quam volunt, sin *ego* sum pronuncias, apparet me ab alio distingui nec amplius de sola, ut ita dicam, existentia agi, velut ap. Ioa. VI, 20. Alterius locutionis *αὐτὸς ἐγώ εἰμι* exempla, quae in medium attulit HUGIUS, maximam partem aliena

---

24) *Freiburger Zeitschrift* III. p. 170.

sunt, vix unum proposuit, in quo simplex haec formula *αὐτός ἐγώ εἰμι*, de qua ipsa quaeritur, reperiatur[25]). Itaque, ut rem brevi praecidamus, *αὐτὸς ἐγώ εἰμι* nullo praeterea vocabulo adiecto valet *ipse ego sum* et oppositionis vim habet: *ipse ego sum*, non alius, qui forte pro me haberi vel meam personam sustinere videri possit. Adeoque Iesus v. 39. se ipsum opponit *πνεύματι*, quod apostoli videre sibi videbantur v. 37, hoc modo: quod spectatis, non est *πνεῦμα* (sive ullum aliquod, sive meum), sed *ipse ego sum*, *ich selbst bins*, *ich bins persönlich*, i. e. (pro huius loci natura) *ich bins leibhaftig*[26]). Similiter ap. Ioa. VI, 20., ubi spectrum in mari incedens cernere se putabant apostoli, Christus dicere poterat: *ἐγὼ αὐτός εἰμι* ego ipse sum, non spectrum. Nam eodem redit denique, utrum dicas: *ego* sum (voce acuens pronomen) an: ego ipse sum. Veruntamen, si vel concedere velimus (quod nunquam, ut faciamus, a nobis impetrabimus), ista verba *ἴδετε τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου* dicta esse de notis, quae manibus pedibusque impressae erant, quidni poterant monstrari in pedibus striae et sugillationes, quas effecerant sparta (si quidem pedes spartis alligari solebant, de qua re infra explicaturi sumus). Nec andiendus Hengstenbergius, qui p. 186. *einige Striemen*, inquit, *an den Füssen konnten nicht dazu dienen, die Identität seiner Person zu konstatiren.* Nam vibices non solas ille ostendit, verum etiam cicatrices manuum, quae *utraque* res apostolis debebat persuadere id, de quo agebatur. Quod Baehrius addit p. 322. *warum zeigte er ihnen nicht vielmehr die Wunde in der Seite, die doch weit überzeugender und beweisender für sie sein musste, als die unsichern* signa foedationis (haec verba sunt Dathii ad Ps. XXII, 17.)? id nostrae potius causae favet; nam si dominus hoc egit, ut se esse ipsum illum Iesum cruci fixum doceret, satius erat latus spectandum apostolis praebere, quam manus pedesve: latus enim non solebat vulgo in cruciariis lancea pungi! Porro instat Baehrius p. 322. sic disputans: *waren die Hände durchbohrt und bestand in dieser Durchbohrung das Merkmal oder Abzeichen derselben, so geht daraus, dass Jesus hier die Füsse so genau mit den Händen verbindet, sie neben einander und einander gleichstellt* (*ἴδετε τὰς χεῖράς μου καὶ*

25) *Ipse ego* is sum Plaut. Pseudol. 4, 2. 23, *is* edepol Harpax *ego* sum 4, 7. 96, *ego ille*, quem nosti Plin. epp. 1, 6, *οὗτος αὐτός ἐστιν* Aristoph. Acharn. 2, 279., *ἐκεῖνος αὐτὸς* (*αὐτότατος*) Aristoph. Plut. 83., *οὗτός τοι ἐγὼ ὁ Κλεῖτος* Arrian. Alex. 4, 8. Talia, si miscere velis, permulta possint e graecis latinisque scriptoribus enotari.

26) Vid. Ven. Fritzsch. ad Rom. II. p. 75.

τοὺς πόδας μου) *nothwendig hervor, dass sich an den Füssen dieselben Zeichen (die Nägelmale) wie an den Händen befanden.* Sed haec ieiuna sunt et umbratilem quandam morositatem redolent. Quidni possint diversa vestigia, in manibus clavorum, in pedibus funium simul ostentari, si res ita ferat? Quidni possit, qui vapulaverit, omnia huius iniuriae signa sive ferro sive pugno sive fusti effecta proferre, ut intelligatur, quam misere habitus sit? Paulus 2 Cor. XI, 26. pericula, quae adiisset, ita enarrat: *κίνδυνοι ποταμῶν, κίνδυνοι λῃστῶν.* Num haec non licebat componere, quod *ποταμοὶ* et *λῃσταὶ* non sunt ex eodem prorsus genere? Fortasse hoc tantummodo concessum fuit scribere: *κίνδυνοι ποταμῶν, κινδ. ὁδῶν*? Postremum Baehrius p. 323. addit: *war der Kopf und der Hals nicht auch entblösst? und an was lässt sich leichter erkennen und beweisen (wenn sonst keine bestimmten Abzeichen am Körper sich befinden), ob ein wirklicher Mensch mit Fleisch und Bein oder eine blosse Scheingestalt dastehe, als an dem Theile des Körpers, dem gerade die Eigenthümlichkeit einer Person und überhaupt der Menschlichkeit am meisten aufgeprägt ist, nämlich am Haupte, an den Gesichtszügen* cet.? Siccine dignum videbatur domino redivivo caput vel os contrectandum praebere apostolis? Sed non placet amplius eiusmodi argumenta, si quae sunt, persequi. Uno ut verbo dicamus, ex evangelicis commentariis nihil potest repeti, quod pedes Christi clavis ad patibulum affixos fuisse, haud dubie ostendat.

De Psalmo XXII. non est, quod explicemus; hoc carmine qui Christi supplicium divinitus praedictum esse censent, viderint, quo hanc opinionem tueantur modo. Sed quaeri tamen possit et iam ab aliis quaesitum esse accepimus[27]), qui factum, ut nemo Evangelistarum, ne Matthaeus quidem, quem in vaticiniis interponendis multum operae consumsisse novimus, istius Psalmi meminerit, quo nihil poterat aptius esse ad Christi supplicium, quale fuisse videtur Baehrio et Hugio, depingendum: *ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας*! Accedit, quod Ioannes XIX, 24. certe (si, quae apud Matth. XXVII, 35. leguntur, subdititia esse censemus) ex illo ipso Psalmo alia verba attulit. Nihil est, si dicas, Iudaeis isto tempore Psalmum XXII. non visum esse ad Messiam spectare, nec hoc placet ullo modo, quod Baehrius apud Tholuccium p. 42. monet: *gerade weil das Durchbohren der Hände*

---

27) Vid. Paulus *im exeget. Handbuche* III. p. 746., add. Hasius in vita Iesu p. 201.: *das Uebersehn einer der evang. Geschichtschreibung so nahe liegenden Weissagung scheint gegen eine Annagelung der Füsse zu sprechen.*

und Füsse etwas war, das bei allen Kreuzigungen geschah und also auch den beiden Schächern Hände und Füsse durchbohrt wurden, wie Jesu, so heben die Evangelisten natürlich nicht das Gemeinschaftliche, sondern den allerindividuellsten Umstand, der nur und allein bei Jesu Kreuzigung vorfiel, das Kleiderverloosen hervor cet. Nam solent Evangelistae res a Iesu gestas, etiam quae non erant huic uni homini propriae, ad antiquorum vaticinorum fidem promiscue revocare; istum vero locum non propterea, opinor, praetermissuri erant, quod manuum pedumque perforatio praedonibus etiam acciderat una cum Christo in crucem actis, nam spiritum divinum non de latronibus sed de Christo vaticinatum esse omnia, satis inter eos conveniebat (1 Petr. I, 11.), nec verendum erat, ne quisquam lectorum (Christo fidem habentium) obiiceret: haec talia perpessi etiam sunt praedones et ante Christum multi, et cum Christo ipso, igitur non spectant vatis verba ad Christum. Certe ecclesiae utriusque doctores, qui adversariis rei christianae, maxime Iudaeis refractariis, veritatem persuasuri erant, non dubitarunt isti Psalmo multum tribuere ponderis. Quid igitur, si Evangelistae propterea sese ab istius vaticinii usu abstinuerint, quod non satis recte videretur ad domini supplicium accommodari posse, h. e. quod manus tantummodo Christi perforatae essent? Sed non est, quod nostrae causae e silentio scriptorum commendationem petamus. Itaque ad alia pergendum.

4. Sequitur enim, ut quid a romanis scriptoribus[28]) de pedum in patibulo sive affixione sive alligatione traditum sit, anquiramus. Ac primum quidem de funium usu dubitari non potest. Plinius enim in historia natur. XXVIII, 11. varias hominum superstitiones enarrans haec prodidit: alii in quartanis fragmentum clavi a cruce involutum lana collo subnectunt aut *spartum e cruce*[29]). Idem fere de clavis habet Appuleius in Metamorph. libro III. p. 60. ed. Bipont. Lucanus vero Pharsal. VI, 543 sqq. de maga quadam Thessala ita canit:

— — — et siccae pallida rodit
excrementa manus laqueum nodosque nocentes
ore suo rupit, pendentia corpora carpsit
abrasitque cruces etc.

Sed nemo illorum scriptorum, quam corporis partem laquei constrinxe-

---

28) E graecis nihil peti potest, quod ego sciam. Etenim Lucianum in Prometheo c. 1. ut non curem, disputando effecit Baehrius p. 364 sqq.

29) Similem superstitionem perstrinxit Lucian. in Philopseud. 17.

rint, diserte dixit; itaque PAULUS pedes, BAEHRIUS manus, antequam hae clavis configerentur, ad crucem alligatas esse statuerunt, et BAEHRIUS[30]) quidem hac potissimum de causa, quod manus vix potuerint solis clavis retineri in cruce, quippe ipsa corporis gravitate depressae, pedes vero, qui nihil haberent, quod sustinerent, non opus fuerit ut et ipsi constringerentur[31]). Addit ille, manus ne potuisse quidem recte configi clavis, nisi sparto antea religatae essent ad ligna crucis transversa. Sed haec tamen non ita sunt comparata, ut mihi assensum exprimant. Nam, quemadmodum supra vidimus, corpus cruciariorum paxillo in media cruce ita insidebat, ut totum sustentaretur, quapropter manus non habebant, quod ferrent, nisi pondus brachiorum; huic autem ferendo pares illae haud dubie fuerunt, etiam si non alligatae essent funibus. Deinde si necesse videbatur manus vinculis adstringi, ut eo commodius perforari possent, quid remansisse putabimus vincula in cruce, postquam manus religatae essent? Remansisse vero ex iis apparet, quae LUCANUS narrat. Multo profecto credibilius est, *sparta* adhibita esse vel ad deligandos pedes, ut ne, cum prae dolore illi agitarentur, corpus ipsum de *πήγματι* deturbaretur, vel adstringendo ad patibulum medio corpori, quo firmius hoc in sedili inhaeresceret. Sed non est, quod in re admodum incerta amplius commoremur; hoc recte vidisse BAEHRIUM arbitror, nihil, quod ad pedum affixionem pertineat, ex duobus istis PLINII et LUCANI locis extundi posse, quanquam ille, ut fit, aliquanto cupidius disputasse et, dum adversarium refelleret, suae ut consuleret causae nimium studuisse videtur.

Quid vero dicamus de altero loco, qui est apud PLANTUM in Mostellaria II, 1. 13. Ibi Tranio servus male factorum sibi conscius adventum heri timet argentoque conducere cupit, qui sua vice poenam certissime iminentem subeat. Sic enim ille:

Ego dabo ei talentum, prius qui in crucem excucurrerit,
Sed ea lege, ut offigantur[32]) bis pedes bis brachia.

---

30) Hoc partim praeiverat HUGIUS V. p. 22. 24.

31) p. 333. *Die Hände bedurften ausser den Nägeln noch einer Befestigung, weil sie wegen der Schwere der Arme und des Leibes leicht ausreissen konnten, wie der gelehrte Arzt RICHTER* (dissertatt. med. p. 30.) *gezeigt hat.*

32) Ita meliores libri; plurimi: *affigantur.* Quod PAREUS suasit: *offringantur* legitur etiam in duobus codd. Non audiendus Ven. PAULUS, qui *obstringantur* poni iussit. Probabiliter de hac lectionis varietate disseruit BAEHRIUS p. 334 sqq. praeeunte HUGIO III. p. 169.

Primum facile, credo, intelligitur, dici h. l. aliquod gravius et a consuetudine remotum supplicium, nam hoc indicare videntur verba: *sed ea lege.* Reliqua duobus modis interpretati sunt viri docti. Alii de utraque manu et utroque pede adeoque de *quattuor* clavis sermonem esse voluerunt, aliis placuit explicatio haec: non semel manus et pedes, sed bis singula defigantur adeoque *octo* clavi adhibeantur. Ita post Lipsium nuper Baehrius. Sed haec tamen interpretatio videtur longe petita et a simplicitate aliena esse, planius certe et (ut in hoc tali loco) sine ulla ambiguitate dici et poterat et debebat sic: bis *singuli* pedes, bis brachia *singula*, vel in hunc modum: *quater pedes, quater brachia.* Parum enim me movet, quod Baehrius p. 338. profert: *würde der Sclave sagen, es sollten nicht nur die Hände sondern auch (sogar) die Füsse angenagelt werden, dann müsste man allerdings das Ungewöhnliche im Annageln der Füsse suchen. Da er aber* brachia *und* pedes *als ganz gleiche nebeneinander stellt und er beiden etwas hinzufügt, was auch nicht bei den Händen gewöhnlich war, nämlich dann sie* bis *angenagelt werden sollten, so kann wohl nicht darüber gestritten werden, dass die ungewöhnliche Härte eben in dem* bis *lag.* Nimirum istud ipsum dicere videtur servus, *pedes* enim prius posuit, credo quoniam in hac voce vis sententiae inest, quasi ita dixerit: *bis* pedes pariter ac brachia, *zweimal die Füsse sowohl wie die Hände.* Itaque severitas supplicii, quae verbis *sed ea lege* significatur, ad pedum geminam affixionem pertinet. Inde colligi poterit, isto certe tempore manus duntaxat cruciariorum ferro traiici solitas fuisse; neminem enim puto in eam opinionem inclinaturum esse, ut censeat, vulgo *uno* tantum clavo pedes defixos fuisse: ita enim istud *bis* (pedes) non indicaret severiorem quandam poenam, siquidem ad cruciatus acerbitatem perinde est uno an binis clavis perforentur pedes. Quae cum ita sint, non intelligo, quo tandem iure Baehrius sua interpretatione tantopere gloriari potuerit, ut iterum iterumque profiteretur: *Diese Stelle ist und bleibt ein schlagender, vollgültiger Beweis für das Annageln der Füsse!* Hoc igitur multum displicet, sed in eo, quod Baehrius p. 371. adversus Paulum de Lucani verbis VI (perperam scripsit ille IV. 547.

insertum manibus chalybem — — —
sustulit cet.

disseruit, verum vidisse mihi videtur. Ita enim: *wer will nun,* inquit, *mit ihm (dem Dichter) rechten, dass er bei dieser Ausmahlung etwas genannt und etwas andres nicht genannt hat? Und kann der Aberglaube*

nicht auch gerade vielleicht den insertum *pedibus* chalybem *verschmäht und zu den Hexereien für untauglich gehalten haben? kann man besonnener Weise sich zu folgendem Schlusse verstehen: wenn L. bei der Aufzählung von mancherlei Hexereien und abergläubischer Zaubermitteln unter andern den* insertum manibus chalybem *nennt und nicht zugleich auch einen an den Füssen, darum „band man in der Regel die Füsse mit Stricken fest" darum können „durchaus nirgends" die Füsse angenagelt worden seyn?*

5. Pergimus ad ea, quae scriptores christiani de crucis supplicio Christi vel martyrum memoriae prodiderunt[33]). Principem locum tenent ii, qui clavos, quibus in suffigendo ad crucem Christo olim usi essent milites romani, ab HELENA inventos esse (a. Ch. 326.) narrarunt; nam, ut professus est iam Ven. PAULUS, quanquam isti suppositítii fuerunt haud dubie, non poterant tamen plures offerri nobilissimae matronae, quam vulgo adhiberentur; illa enim aetate omnes adhuc norant, quo cruciarii modo infigerentur, nam Constantinus nuper demum (a. Ch. 315.) crucis supplicium aboleverat[34]). Quid igitur rerum christianarum auctores? EUSEBIUS, historiae ecclesiasticae princeps, nihil retulit[35]). RUFFINUM praetereo, quoniam et paullo negligentius scripsit et, quippe vocabulo *fertur* usus, fando potius videtur ea de re audivisse[36]). SOCRATES H. E. I, 17.

---

33) *Memoriae*, inquam, *prodiderunt.* Poetas igitur silentio praetermitto, velut istum, qui carmen Χριστὸς πάσχων inscriptum consarcinavit, de quo docte exposuit EICHSTADIUS in singulari commentatione Ienae 1816. 4. edita. Apologetas vero cur nihil nunc curem, causa apparebit infra.

34) Vid. PAULUS in Commentar. philol. hist. III. p. 164. BAEHR p. 350. — HUGIUS prorsus praetermittendam existimavit hanc historiam, nam ita ille *(Zeitschrift VII. p. 144.): die Erzählung ist nicht von andern übersehen, sie ist von ihnen nur wie böse Münze ausgeschossen worden!*

35) Quod quidem EUSEBII silentium mirum videbitur omnibus, ea, quae libro tertio de vita CONSTANTINI narrando comprehendit, legentibus. Sed v. tamen AUGUSTI *Denkwürdigkeiten XII. p. 100. sq.*

36) Ita ille (H. E. X, 8.): *clavos quoque, quibus corpus dominicum fuerat affixum, portat* (Helena) *ad filium. Ex quibus ille fraenos composuit, quibus uteretur ad bellum. Ex aliis galeam nihilominus belli usibus aptam fertur armasse.* Itaque primum ita instituit dicere, quasi repertos clavos ad fraenos ornandos unice adhibuisset CONSTANTINUS; illico vero, rectius nimirum dicturus, de *aliis* addit. Sed vide, quam caute distinxerit is, qui alias non admodum religiosus fuit: *fertur* armasse. Haec RUFFINI si per se sola spectantur, in hanc ducere opinionem videntur, de fraenis rem certo constitisse, de galea rumorem tantummodo serpsisse.

hac scripsit: *καὶ τοὺς ἥλους δὲ, οἳ ταῖς χερσὶ τοῦ Χριστοῦ κατὰ τὸν σταυρὸν ἐνεπάγησαν, ὁ Κωνσταντῖνος λαβὼν, καὶ γὰρ καὶ τούτους ἡ μήτηρ ἐν τῷ μνήματι εὑροῦσα ἀπέστειλεν, χαλινούς τε καὶ περικεφαλαίαν ποιήσας ἐν τοῖς πολέμοις ἐκέχρητο.* Nihil hic de clavis pedum. At fortasse, inquies, non omnes Helena clavos a se repertos misit filio. Recte, poterat illa partem clavorum vel sibi retinere vel in templo a se exstructo deponere, quemadmodum ipse Socrates in his, quae praecedunt, narrat, Helenam crucis particulam tantummodo filio donasse: *τοῦ σταυροῦ μέρος μέν τι θήκῃ ἀργυρᾷ περικλείσασα — — αὐτόθι κατέλιπε* (Hierosolymis), *τὸ δὲ ἕτερον μέρος ἀποστέλλει τῷ βασιλεῖ.* Veruntamen ex omni narrationis continuatione intelligitur, Helenam non reperisse nisi *clavos manuum!* Ecquid inde? quaerit Baehrius ap. Tholuccium p. 32. *Nur wenn man,* pergit ille, *mit der apodiktischen Voraussetzung*, *die Betrüger müssen der Helena gerade so viel Nägel als man zu Constantins Zeiten gewöhnlich zu Kreuzigungen gebrauchte und keinen mehr und keinen weniger in die Hände gespielt und Helena darf keinen für sich behalten haben, die Worte des Socr. liesst, können sie etwas zu Beachtendes sagen. Diese Voraussetzung ist aber eine ganz precäre und darum auch das vermeintlich gewichtvolle auf sie gebaute Zeugniss des Socr. ein völlig unzuverlässiges. Gewiss ist, dass man die H. nicht mehr Nägel finden liess, als der Natur der Sache nach bei einer Kreuzigung sein konnten, durchaus nicht gewiss hingegen, dass man sie auch nicht weniger finden lassen konnte. Für Hel. war es genug, wenn sie nur Kreuzesreliquien fand und bekam, ob sie gerade alle erhielt, darauf kam es ja nicht an. Konnte sie nicht schon mit zwei Nägeln zufrieden sein? Thaten diese für sie nicht denselben Dienst, wie drei und vier?* Sed hoc est dubitationem, quae sponte exoritur, elevare, non tollere. Illos igitur, qui tres cruces, qui tabellam Pilati, qui clavos solo abdiderant, tam incuriosos fuisse putabimus, ut pro tribus vel quattuor duos tantummodo clavos conderent? quae res Helenae eo facilius poterat scrupulos iniicere, quo magis tum, ut ipse Baehrius iterum iterumque docet, inter omnes constabat, Psalmum XXII. in Christi supplicium esse dictum. Manibus enim et pedibus affigendis non sufficiebant duo clavi. Istud vereor, ut sint qui Baehrio credant. — Sed alii etiam scriptores veteris ecclesiae eandem illam historiam dicam? an fabulam tradidere. Fortasse hi lucem afferent ei, quam instituimus, quaestioni. Sozomenus H. E. II. 1. haec habet: *μέρος* (*τοῦ σταυροῦ*) *δὲ ἡ βασιλὶς πρὸς Κωνσταντίνον τὸν παῖδα διεκόμισεν· οὐ μὴν*

ἀλλὰ καὶ τοὺς ἥλους, οἷς τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ διαπεπερόνητο. Nihil hic de numero clavorum. Sed intelligis tamen, si Sozomeno fides, non posse stare ea, quae supra Baehrium de Helena partem clavorum retinente coniecisse diximus. Sequitur, ut Theodoretum testem producamus. Is igitur H. E. 1, 17. haec narrat: οὕτω δὲ τοῦ βασιλέως ἡ μήτηρ μαθοῦσα τὸ ποθούμενον, τῶν ἥλων τὰ μὲν εἰς τὸ βασιλικὸν ἐνέβαλε κράνος, τῆς τοῦ παιδὸς κεφαλῆς προμηθουμένη, ἵνα τὰ τῶν πολεμίων ἀποκρόνηται βέλη· τὰ δὲ τῷ τοῦ ἵππου ἀνέμιξε χαλινῷ καὶ ἀσφάλειαν μηχανωμένη τῷ βασιλεῖ καὶ παλαιᾷ προφητείᾳ πέρας ἐπιτιθεῖσα. Ex his verbis quot clavos ad ornatum filii adhibuerit Helena, non satis liquet, sed Baehrium suspicor legere sibi visum esse τῶν ἥλων τοὺς μὲν — — τοὺς δὲ cet. Ita si scripsisset Theodoretus, quattuor minimum clavos narrasset. Verum ista hunc sensum habent: *von den Nägeln verwendete sie ein Theil zum Helme — — ein ander Theil zum Zaume.* Scilicet haec latius dicta; et recte se haberent, etiamsi Helena non *integros* clavos (τοὺς μὲν, τοὺς δὲ) aptari iussisset galeae vel fraeno, quemadmodum illa non dubitavit ipsam sanctam crucem dissecare in duas partes, quarum unam auctore Theodoreto τοῖς βασιλείοις ἀπένειμε, τὸ δε λοιπὸν θήκην ἐξ ὕλης ἀργύρου ποιησαμένη τῷ τῆς πόλεως δέδωκεν ἐπισκόπῳ φυλάττειν etc. Quid igitur, si clavos etiam Helena ita in particulas concidendos curaverit, ut iis galeam et fraenum *passim* distingueret? Hoc ipsum significare videtur Ambrosius in oratione, quam de obitu Theodosii habuit (edit. Ven. p. 298.). Utitur enim his verbis: *de uno clavo fraenos* fieri praecepit, *de altero diadema intexuit* — — misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior *ferro innexas* crucis redemtionis divinae gemma connecteret. Sed ipse Ambrosius visus est Baehrio de pedum affixione Christi testimonium dixisse. Haec vero ille narrat: quaesivit (Hel.) clavos, quibus crucifixus est dominus, et invenit. De *uno* clavo — — *de altero* — — intexuit; *unum* ad decorem, *alterum* ad devotionem vertit. Nemo, opinor, qui latine scit, dubitabit, de duobus tantummodo clavis agi; hi vero vix videbuntur fuisse nisi utriusque manus. At infra apud Ambrosium haec sequuntur: nunc pugna nobis (Iudaeis) vehementior adversus eum, cui regna famulantur, cui servit potestas, illum contemsimus, quomodo regibus resistemus? *ferro pedum* eius reges inclinantur. Iam igitur ita statues, istorum clavorum, quos duos supra commemoraverat Ambr., *unum* fuisse manus sive dextrae sive sinistrae, *alterum* pedum. Secus Baehrius; *mit Unrecht*, ait ille, *wird aus dem* unus — alter *auf nur zwei Nägel geschlossen*, — —

die Wörter unus *und* alter *stehen ganz allgemein und distributive, sie sind nicht als strenge Zahlwörter zu nehmen.* Quid vero hoc sit: *stehen ganz allgemein*, apparet ex his, quae addita leguntur: Ambr. *lässt die Juden ausrufen:* ecce et clavus in honore est et quem ad mortem impressimus, remedium salutis est. *Hier wird Nagel ganz allgemein gebraucht für die Kreuzesnägel überhaupt!* Haec vel contorta sunt vel nihili. Quaesivit auctore Ambrosio Helena clavos, quibus crucifixus esset dominus et invenit quot? duos! plures huic scriptori non extorquebit Baehrius. Istud satis quidem mirum, sed nacti tamen feliciter sumus *ferrum pedum!* Quorsum igitur haec omnia disputata sunt? Scilicet ut intelligatur, quam parum recte Baehrius p. 356. affirmet: *dass Helena auf jeden Fall mehr als zwei Nägel brachte, ist nur zu* (sic!) *klar.* Imo vidimus, neminem historicorum scriptorum, qui de Helena exposuerunt, quot illa clavos invenerit, memoriae prodidisse, Socratem adeo non videri nisi de *manuum* clavos compertum habuisse: unum Ambrosium, ad Iudaeos rhetoricatum et lepide ampullatum, *ferri pedum* meminisse. Egregium vero testem communi historicorum scriptorum silentio! praesertim cum ille adversetur Socrati; ornatum enim, quem omnem hic ex clavis *manuum* factum esse tradit, iste partim a *ferro pedum* desumtum comminiscitur.

Paucis nunc attingere placet martyrologia, quae ipsa ex pulvere excitavit Baehrius. Sed poterat, opinor, ista opera supersedere. Nam de Marcelliano et Marco haec traduntur: quibus ad stipitem ligatis in pedibus eorum affixi sunt clavi, cumque transisset unus dies et nox, iussit ambos (Fabianus iudex) lanceis per latera verberari. Quis non videt, atrocius quoddam h. l. supplicium et singularem quandam crudelitatem narrari? Ex eodem fere genere sunt haec, quae de Petro, de Philomeno, de martyribus aegyptiis, de Tryphone p. 362 sq. allata sunt. Fortasse etiam in Felicianum, cuius in *manibus ac pedibus* clavi infixi traduntur, durius saevitum, quemadmodum isto tempore creberrime factum novimus. Unus restat Abdiae (apostol. hist. III, 40.) locus, qui de S. Andrea haec habet: Sic Proconsul septem eum ternionibus flagellorum caesum crucifigi praecepit, mandans nominatim quaestionariis, ut ligatis manibus et pedibus et non clavis affixus suspenderetur, quo diutino cruciatu deficeret. In haec verba ita commentatus est Baehrius p. 361.: *der Proc. liess ihn nicht auf die gewöhnliche Weise kreuzigen* (non clavis affixus), *sondern — das will die Erzählung offenbar sagen — dieselben Theile, die sonst gewöhnlich mit Nägeln durchbohrt wurden, seien diesmal —— nur mit Stricken ans Kreuz befestigt*

worden. Facile concederem Baehrio, si pro *affixus* scriptum esset *affixis.* Sed, ut nunc posita sunt verba *ligatis manibus et pedibus*, non habent nisi hunc sensum: *mit gebundenen Händen und Füssen*, nec per se, utrum vulgo utraque membra an manus solae affixae fuerint declarant; fac, pedes ligari, manus confodi solitas fuisse, quo alio modo Abdias, si vellet breviter, poterat scribere? At si vel recte interpretatus esset Baehrius, nihil sequeretur nisi hoc, eo, quo Abdias scribebat, tempore, vulgo tam severe in martyras [37]) statutum esse a magistratibus romanis, ut etiam pedes clavis traiicerentur.

Ex his omnibus, quae a nobis deinceps disputata sunt, satis apparere arbitramur, Baehrium in ea, de qua quaeritur, caussa tractanda non satis caute, imo iusto cupidius versatum esse; nihil enim certi de pedum affixione cruciariorum et Christi ipsius vel ex N. T. vel ex scriptoribus romanis vel denique ex rerum christianorum auctoribus compertum habemus. Proinde omnis eius rei fides redit ad patres, qui de Psalmo XXII. ita explicuerunt, ut ex iis, quae ipsi vidissent, vaticinii istius verba, ad Christum translata interpretarentur, ad Iustinum maxime Martyrem et Tertullianum. Hos enim non typici studii coeco quodam impetu abreptos esse, ut praeter rei, quam crebro spectassent, veritatem declamitarent, probabiliter contra Paulum docuisse videntur Hugius [38]) et Baehrius. Verum non licet mihi academici libelli angustiis concluso haec copiosius persequi. Unum restat, ut Vos, Commilitones optimi, de sanctitate festorum dierum, quos in eo sumus ut concelebremus, admoneam. Diligenter quaeso recordamini, quae quantaque vis fuerit spiritus divini in ecclesia christiana inde a prima illa Pentecoste, curate ut Vestri etiam animi hoc spiritu, qui est et intelligentiae et amoris et cerstissimae spei, repleantur, hoc maxime tempore, quod tantas inter Christianos peperit pugnas et tam periculosa dissidia, ut saepe difficile sit, quid verum, quid falsum, recte iudicare.

P. P. in Universitate Lipsiensi Dom. Exaudi a. MDCCCXLV.

---

37) Quam crudeliter saevitum fuerit in martyras christianos videri licet apud Euseb. H. E. libri 8. append. (de martyribus Palaestinae). Add. liber satis notus Ant. Gallonii de martyrum cruciatib. Antwerp. 1668. 12.

38) *Zeitschrift* V. p. 26 sqq.